

## CONCLUSIONES

## EX DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE NOTIONIBUS

EXTRACTAE

AB IPSO SUO AUCTORE

ILMO. DOMINO DOCT. ET MAG. D.

Josepho Maria a Jesu Diez de Sollano et Davalos,

IN GRATIAM

SUORUM ALUMNORUM

HANC CATHEDRAM CURSANTUM.

1866.

**Q**UONIAM disciplinarum sanctae ECCLESIAE DISCIPLINAM tum sapientia, tum iustitia, tum denique coelestis prudentia excellentissimam esse, nemo sanae mentis inficias iberit.

Quid etenim sapientius, quid iustius, quid prudentius DEI ECCLESIAE regimine, in quo ius naturale et divinum cum iure humano miro foedere sociantur? Quid maiori studio prosequendum, illâ disciplinâ, quam, Spiritu sancto afflante, tot seculorum tempestatibus edocta sancta mater nostra, Iesuchristi dilectissima sponsa per vniuersum terrarum orbem sparsam ad suimet ipsius compaginem ordinauit? Quid denique, iunioribus clericis magis necessarium, quam illius scientiae cognitio, ex qua omnia ecclesiae sanctissima iura, [hodiernis tempestatibus ab impiis, falsisque politicis sumopere disputata, immo etiam despecta, et concussa,] repetenda, vindicanda, et ab oppositis defendenda veniunt? NOS itaque aliqua pro nostris neoclericis ex tam praecellenti disciplina edocenda curauimus: inter quae sequentes theses ex nostro opusculo, iam pridem elaborato, nunc temporis in hocce nostro LEONENSE SEMINARIO superis fauentibus, defendendas decreuimus.

## THESES DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

- 1<sup>a</sup> CHRISTVS est verus et summus legislator.
- 2<sup>a</sup> CATHOLICA CHRISTI ECCLESIA vera auctoritate regendi gubernandi et moderandi populum fidelem legitimè pollet.
- 3<sup>a</sup> PRAEDICTA auctoritas est vera et propriè dicta auctoritas legislatiua ad regendum populum sanctum DEI tam dogmaticis quam disciplinariis rebus.
- 4<sup>a</sup> HAEC potestas legislatiua ECCLESIAE est à iure diuino.
- 5<sup>a</sup> EST suprema et independens ab omni ciuili potestate.
- 6<sup>a</sup> DATUR in ECCLESIA potestas verae et propriae iurisdictioni non tantum in foro interno sed etiam externo.
- 7<sup>a</sup> REX, seu potestas ciuilis, ut talis, seu ratione suae iurisdictionis politicae, nullam habet in ECCLESIA spiritualem potestatem.
- 8<sup>a</sup> DISCIPLINA ECCLESIAE tam interna quam externa solum modò ab ipsamet ECCLESIA stabiliri potest, et nullomodo à principibus secularibus.
- 9<sup>a</sup> TVITIONIS officium christiano principe sumopere dignum in ECCLESIA defendenda, non in ea regenda versatur.
- 10<sup>a</sup> LEGES de rebus ecclesiasticis a secularibus principibus conditae nullius sunt momenti, nisi ab ECCLESIAE ratae habeantur.
- 11<sup>a</sup> LIBERTAS et independentia ECCLESIAE in suo regimine ex natura et constitutione ipsiusmet ECCLESIAE deriuatur; et es adeo necessaria, ut sine ipsis nequeat consistere.
- 12<sup>a</sup> IN Conflictu legum ECCLESIASTICARVM et ciuilium canones praeualere debent.
- 13<sup>a</sup> PONTIFICVM et conciliorum decreta, antequam placitum regium obtineant, vim obligandi habent.
- 14<sup>a</sup> PLACITVM regium, seu placet, aut exequatur, ut vocant, veluti ECCLESIAE libertati et independentiae contrarium nullomodo admitendum, immo reiiciendum omnino est.
- 15<sup>a</sup> IMMUNITAS ECCLESIASTICA, generaliter sumpta, a iure naturale et gentium; necnon diuino et humano originem ducit.

16<sup>a</sup> VERITAS catholica est, clericos in spiritualibus, seu ecclesiasticis causis omnino esse immunes a iurisdictione temporalium principum.

17<sup>a</sup> VERA et sententia catholica est, clericos iuste potuisse a iurisdictione principum temporalium eximi.

18<sup>a</sup> TALIS exemptio a summo PONTIFICE efficaciter fieri potuit ita ut iusta et valida sit.

19<sup>a</sup> HANC CLERICORVM exemptionem de facto esse sancte concessam et in ECCLESIA antiquissimam inuicté demonstratur.

20<sup>a</sup> DE fide certum est, hoc privilegium iustum et validum esse, et conuenientur institutum.

21<sup>a</sup> CLERICI sunt exempti etiam in causis temporalibus a potestate ciuili, iure diuino pariter ac humano.

22<sup>a</sup> CONSEQUENTER: PRINCIPES seculares in suis ditionibus, tale CLERICORVM privilegium tollere aut imminuere nequeunt sine consensu SVMI PONTIFICIS.

23<sup>a</sup> RES sacrae proprie dictae, ut sunt vasa sacra, iure naturali pariter ac diuino ab omni usu prophano, et ab omni dominatione seculari immunes sunt.

24<sup>a</sup> ECCLESIA iure naturali, pariter et diuino apta et capax est, ad possidenda bona tam mobilia quam immobilia ad cultum diuinum de corem domus DEI, et sustentationem clericorum.

25<sup>a</sup> OMNIA bona ECCLESIASTICA dici possunt, gaudere privilegio fori, seu esse exempta ab omni iurisdictione et potestate temporalium PRINCIPVM seu MAGISTRATVM, non solum quoad distributionem, sed etiam quoad administrationem conseruationem et alienationem.

26<sup>a</sup> BONA ecclesiastica absque ECCLESIAE consensu subiici non debent tributis seu vectigalibus secularibus.

27<sup>a</sup> IVS prohibendi libros siue fidei, siue moribus contrarios ad Ecclesiasticam potestatem spectant iure diuino et ECCLESIASTICO.

28<sup>a</sup> TALIS PROHIBITIO sub excommunicationis poena salubriter stabilita a primordio ECCLESIAE ad nostra usque tempora reperitur, et est iusta, conueniens, et fidelibus vtilissima.

FIN DE LAS CONCLUSIONES.

## SUMARIO.

PARAGRAFO 1 <sup>o</sup> —Definicion y division de la disciplina eclesiástica.....	03
PARAGRAFO 2 <sup>o</sup> —¿A quién toca el arreglo de la disciplina eclesiástica?.....	06
PARAGRAFO 3 <sup>o</sup> —¿Qué es lo que á los príncipes seculares toca en materias de disciplina eclesiástica?.....	09
PARAGRAFO 4 <sup>o</sup> —¿En qué consiste la libertad é independencia de la Iglesia?.....	
PARAGRAFO 5 <sup>o</sup> —¿A quién toca legislar en materias de disciplina eclesiástica?.....	28
PARAGRAFO 6 <sup>o</sup> —¿Qué debe pensarse de la inmunidad eclesiástica?.....	36
PARAGRAFO 7 <sup>o</sup> —¿En qué consiste y á qué derecho pertenece el fuero eclesiástico?.....	40
PARAGRAFO 8 <sup>o</sup> —¿Cuál es la excencion que gozan los bienes eclesiásticos y en qué derecho se funda?.....	51
PARAGRAFO 9 <sup>o</sup> y último.—Conclusion.....	59
28 Conclusiones de Disciplinae Ecclesiasticae.....	68